

P R Æ F A T I O .

prescribunt, ignoret. Dudum hoc perspexit Vitruvius Mathematicorum quæ disciplinas ad Architecturam præcipuè spectantes facile princeps, qui, quem instruere voluit, Architecto (Mathematico) jura civilia seriò injungit, principio statim commentarii sui: Jura quoque, inquit, nota habeat oportet, & imprimis ea, quæ necessaria sunt ædificiis communibus parietum, ad ambitum stillicidiorum & luminum. Item aquarum ductiones, & cætera quæ ejusmodi sunt, nota oportet sint Architectis, uti ante caveant, quàm instituant ædificia: nec controversiæ factis operibus patribus familiarum relinquuntur, & ut legibus scribendis prudentiâ caveri possit & locatori & conductori. Namque si lex peritè fuerit scripta, erit, ut sine captione uterque ab utroque liberetur.

Quæ sanè verba fateor, primum mihi stimulum admo-  
verunt Mathematicis adjungendo juri; quod ubi paulò saltem  
cordatus aggressus sum, dici non potest, quàm ego Mathe-  
si mea gratulatus sim, de tot egregiis novarum, ut videbantur,  
Quantitatum specimenibus; de tam speciosis operationum  
Arithmeticarum & ipsius Algebrae exemplis, quæ subtilitate  
magis an utilitate, quam habent in vitâ communi, se com-  
mendent, dubium est: de campo, ubi vires suas ad vitæ civilis  
usum experiatur Mathe-  
sis, amplissimo.

Et novæ quidem illæ, quas dixi, Quantitates (hoc enim  
gratitudinis ergò tacere non possum) primæ fuerunt, quæ  
glaucoma, quod ex præconceptis opinionibus de Quantitate  
vulgò per extensionem definità dudum acquisiveram, mihi  
tandem abstulerunt, ut agnoscerem, Quantitatem eo, quo  
Mathe-  
sis utitur, sensu per omne genus entis longè latèq; diffu-  
sam in quovis attributo sive predicato, quatenus illud non ut  
nudum nomen indeterminatè, sed ut certi quippiam deter-  
mina-  
tè